



**R. P. Christophori De Ortega È Societate Iesu, Quondam
Scolasticæ Theologiæ publici Professoris, ac ejusdem
Facultatis Præfecti ... Theologia Controversiarum
Dogmaticarum, & Scholasticarum, de Divina ...**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, M.DC.LXXX.**

6. De numero Angelorum comparatiuo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94285](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94285)

speciebus omnibus contenta prudentius, vero similisve numerus definitur, & si enim recitatis, locis, numero 1. ex Apocalypsi millia millium, & ex Daniele millia etiam millium esse dicantur; id tamen eorum determinatum numerum nequaquam designat, sed potius numeri determinati à nobis assignabilis præ eorum multitudine desperationem: ut communis interpretatio est, obferuatque noster Martinon. d. 36. de Angel. sect. 7. numero 61. atque, ex Danielis 7. satis claret, id solum, eo numero, significari cum statim numerum variat verbis: & decies centena millia assignabant ei: ad quæ Dionys. de celesti Hierarchia, cap. 14. Multi sunt beati exercitus supernarum mentium infimam, & confusam nostrorum materialium numerorum commensurationem excedentes; quod fieri haudquaquam potuit, si certus ac determinatus aliquis numerus ibi designaretur, nec solum innumerabilis eorum multitudo; ad Hebræos 12. significata etiam à Paulo illis verbis: Accessistis ad Hierusalem celestem, & multorum millium Angelorum frequentiam. Ac tandem Iob. 25. hoc habetur expressum verbis illis. Nunquid est numerus militum eius? ad quæ Greg. 17. Moral. cap. 9. Vi, qui Deo numerabilis est, hominibus innumerabilis demonstratur: quare iam est scholasticis Theologis commune, vnde reiciendus est Aristotel. qui 12. Metaph. cap. 8. ex variorum motuum celestium orbium obseruatione eos numero 47. contineri putauit; cum tamen ex aliis eorum, præter motum calorum, officiis ab ipso etiam non ignoratis eo numero excedere inferre facile poruerit, recensueritque lib. 4. de celo, cap. 9. sub finem cum vitra, ac supra cæli verticem substantias plures separatas beatam agentes vitam posuerit, ut obseruat Eugubius. 4. de perenni philosophia, cap. 2. quare de solis cæli motoribus eum numerum censuit, quocirca Rabbi Moyses sententia illius Aristotelica cum scriptura Conciliator, & sequax, nec Aristotelem intelligit, ut vidimus, nec scripturam, putans Angelorum nomine homines etiam diuina nuntiantes, imo & virtutes rerum naturales absolute in scriptura intelligi, ut sic ex substantiis spiritalibus nu. 47. & hominum, ac virtutum, numero innumerus ille numerus constet; sed vbi nam virtutes naturales rerum in scriptura Angelos dici inueniet Rabbini? nec vllibi homines dicuntur Angeli absolute, sed solum vbi ex adiunctis officiis, non naturæ angelicæ rationem habere, denotari significatur; locis autem pro nostra conclusione datis, & innumeram Angelorum multitudinem signantibus, de propriis Angelis, non autem de similitudinariis est sermo, nec, nisi inepte esse posset, alioqui, & plures, & innumeri Dij possent absolute dici, si omnes, qui Dei perfectionem aliquatenus imitantur possent in numerum, cum Deo absolute censeretur, eumque cum ipso absolute constitueretur. De numero etiam non absoluto, sed comparatiuo, ad corporum omnium, vel saltem sublunarium, vel denique hominum, si de determinato comparatiue ad horum numerum, sit quæstio, non abimili diuinatione definitur, Plato apud S. Thomam, citat. quæst. 90. art. 3. substantias illas separatas, (quas ideas, & species rerum sensibilem dixit Angelos intelligere refertur, atque eo sensu videtur impugnat ab Arist. 1. metaph. text. 31. ac deinceps,) numerum specierum materialium, & sensibilem non prætergredi ait: quod ut pote falso innixum fundamento & sacris scripturis aduersum exultare ab scholis debet.

CERTAMEN VI.

De numero Angelorum comparatiue.

1. Sanctus Thom. proxime censet numerum Angelorum numero corporum omnium maiorem ex citato Dionysij loco: & quia perfectiora ex creatis numero maiori creata à Deo sunt ob innumerabilem eo vniuersi perfectionem maiorem, ut in cælestium corporum excessiua multitudinem respectu totius orbis sublunaris patet, quare, & Angelos corporis omnibus à Deo imperfectioribus, numero, & magnitudine, siue quantitate discreta excedere tenendum esse ei consentiunt Dominici Thomistæ, non vero interpretatione eadem. Caiet. cit. a. 3. & Ferrar. contr. gent. c. 92. non de num. indiuiduorum corporum omnium intelligendum putant quia ideo. S. Th. duobus locis citatis, & qu. 6. de potentia a. 6. & qu. 1. art. 4. excessum hunc respectu indiuiduorum corporum non dixit; sed naturarum corporum; quo nomine species, non autem indiuidua censentur: contra vero respectu numeri indiuiduorum, etiam corporum Thomistæ alij S. Thomam locum intelligunt: & sane eius rationi, & Dionysio, siquid probant, consequentiores etenim numero numerato excedere absolute nequeunt corporum numero, præsertim materiali, ut Dionysius ait in indiuiduorum numero (qui indiuiduorum, vel solus vel quicquid est, cum species abstractæ mente, & cogitatione fuerit, vel formaliter, vel etiam obiective non subsistant) corporibus creatis Angeli excedant. Ratio item à magnitudine, & quantitate continui cælestium orbium, quam sublunarium corporum longe maior, ad magnitudinem, & quantitatem discretam, & numeralem corporum omnium longe minorem, ad omnem, etiam indiuidualem, omnium corporum extenditur, & probat, si quid etiam probat. Sed nec auctoritas Dionysij, nec ratio firmiter probat conclusionem. Non auctoritas: quia Dionys. de numero numerato corpore nostro ad millia decena, centena millia, & vltique producta, non autem de numero numerato corpore, seu corporum numeratorum solummodo loquitur: id enim Danielis locus, quem explicat, & ex quo sententiam præstatam deducit solum significat, ut vidimus: nempe Angelorum multitudinem præ sua multitudine esse à nobis innumerabilem, nec sub arithmetica nostram posse venire. Id etiam immediatior verbis Danielis textus Dionysij, recitato anterior, expressit. Multi sunt enim beati cælestium exercitus, qui infirmum, & contrarium numerorum corporum quibus vltimus, nihil sapient, & transiunt: atque scilicet definitur à sola eorum summa, cælestique intelligentia, qui ea feliciter conceditur, à diuina sapientia. Quibus postremis verbis Beatis etiam Angelis, Dei dono, suum numerum notum Dionysius ait, ut bene Albertus, & lincomiensis, & Vazquez iam citandus contra Hugonem victor.

2. Nec firmitior est ratio: etenim Deum in rerum creaturarum productione intendisse vultius perfectionem maiorem posituam (ut opus ad imitationem erat) pietatis affectu, quam vere rationis assumptionem, & fundamentum est: cum dubium non sit potuisse producere in mundo, quam produxerit, in specie quauis, quibus, quoad amplitudinem maiorem, perfectiorque mundus euaderet, & si non quoad intentionem, quæ neque plurium Angelorum numero augetur: & si autem maiorem perfectionem negatiuam mundi in rerum productione Deus intendat (ut scilicet nihil imperfectionis posituæ rebus productis inest, recte ratione in ipsis inueniantur, quidquamve debita perfectionis creaturis contra earum exigentiam, quatenus à Deo sunt, neque aduersa agentium, ac dispositionum contrariarum exten-

gentia debita alias rebus perfectio impeditur) nihil ad intentum concludendum præstat: cum species nulla rerum quantumvis perfecta numerum individuum, exigit tantum, vel tanto maiorem, vel minorem. Imo cum exigentia realis, & physica status realis rerum, (qui solus individuum, non autem speciem est) solummodo sit, ac de se, & conceptu suo species nullum determinatum individuum exposcat, nec plura, nec pauciora aliis aliis possunt exigere. Exemplum vero, quo assumptum idem confirmatur, ex ampliori celestis orbis, quam sublunaris imperfectioris magnitudine, illud non confirmat. Neque enim ideo est: quia corpora celestia perfectioris speciei, quam sublunaria sunt, in quibus viventia, & animalia sunt, quæ omnia (etiam vilissima) non specifica solum, sed generica etiam, perfectione calos antecessunt; atque in gemmis vniobus, pretiosisque lapillis natura sua adeo saxo, & rupe quavis minoribus, & continua, & discreta quantitate, & si adeo perfectioris speciei sint, manifeste patet. Ratio ergo amplitudinis celestium orbium maioris est, quod ad influxum in sublunarem orbem totum, quibus hic constat, productioni, & conseruationi necessarios, illum vndequeque debeant circumdare, & continere, totque & tantis astris constare, quæ nequeant capi magnitudine minore: cui tandem ratione annuit Molina, art. 3. commentario, à versu 3. §. Ad hæc, vt respondeat obiectionibus contra suam solutionem ad argumenta petita ex mixtis: quod scilicet de elementalibus corporibus, Thomæ ratio procedat, cui ex aqua nobiliori terra in eaque contenta, subinde ipsa minor, & in sole cælis superioribus perfectiore, & saltem cælo, quo continetur aperte occurrat, atque hac nostra ratione respondeat.

3. Bubalus noster citat. a. 3. quæstio vn. diff. 4. §. 1. multa eruditione, & discursu contendit Angelorum numerum, numero individuum corporum omnium longe esse maiorem. Pro qua sententia refert, Carthusianum de quatuor nouissimis, S. Antonin. 3. p. tit. 1. c. 6. §. 1. dicentem. Excedere omnem multitudinem rerum materialium, & æream gazeum Platonicum philosophum Christianum Zenonem imperatore libro. Theophrastus. t. 8. Biblioth. Patrum: cuius hæc ad præsens verba. Plenum est totum cælo, plenum etiam æther. Angelorum, atque damonum, itemque plenum aer, plena terra. plenum mare, plena denique, quæ subteranea sunt omnia; ac quemadmodum quidam sapientium nostratum adeo nihil est, in rerum natura vacuum, vt ne sit quidem, quo capillum inicitur. Refert etiam Agidius Roman. s. Thomæ auditorem, & germanum discipulum in 1. d. 1. p. 1. qu. 2. a. 2. resolut. dubij 1. quare & hæc esse S. Thomæ mentem, vt nu. 6. sub init. censui, mihi dubium non est; idque multis aliis, præter rationem à nobis datam probat Bubalus à versu, unica propositio, aduersum his posita tum ex qu. 10. a. 4. corp. vbi, Angelos esse, in quadam multitudine maxima omnem materialem multitudinem excedente, & eodem discursu, vltus 2. contr. gent. c. 91. citato similiter concludit, excedunt igitur in num. intellectuales substantia separata omnium rerum materialium multitudinem. Nec quod duobus illis, q. 112. a. 5. & q. 6. de pot. a. 6. speciei, & nature corporeæ, nominibus vtatur expresse huius doctrinæ restrictio, ad speciem numerum putanda es, in iis enim, quæ omnibus naturæ indiuiduis, & singulis non conveniunt natura, & species abstractè sumpta non sumitur; sed pro tota eius massa ex suis cunctis indiuiduis constata. Sic dicitur natura humana, Ad peccato, & originali corrupta, ac sanguine passione, & morte Christi redempta, à S. Thoma Patribus, & scholasticis, & conciliis frequentissime, minus benè insitit Bubalus citato versu his positis, testimonio ex c. 14. de celestis Hierarchia à Vazquez, & nobis aperte, reiecto, & si eo, non solum. S. Thomæ, sed & S. Bernardinus Senensis, t. 4. ferm. 4. de amore misericordie fol. 272. ad eandem conclusionem tuendam vtatur: efficacior est textus à Bubalo Chrysost. de Ortega, de Deo Pno. Tom. II.

pro eadem conclusione eodem versu adductus, ex Cyril. Hierosol. Catechesi, 15. sic scribente. Nam pro locorum magnitudine cogitandum est. Si hæc nostra terra tanquam centrum est in medio cali, & tantam habet multitudinem, quantam habebit multitudinem cæli, quod terram ambit, & cali calor habent certe immensam multitudinem, scriptum est enim millia millium &c. (Daniel. 7.) Non quod hæc solum esset multitudo; sed hæc maiorem Prophetæ dicere non potuit. Sed certe conclusio hic tradita non alia est, quam Danielis conclusio, de absoluta innumerabilitate Angelorum à nobis, numerisque nostris, non autem de comparatiua; tamen ratio à Cyrillo innuata illis primis verbis ad comparatiuum etiam excessum ire videbatur. Tenuit tamen illa merito Cyrillus, atque ad suam, & Danielis conclusionem, restrictrix: quia ad excessum, comparatiuum multitudinis Angelorum respectu corporum indiuiduum omnium inferendum viribus eam destitui vidit.

4. Primo quia cælo non solum Angelis, sed etiam hominibus habitatoribus prouisum est, non solum, qui erunt, sed quibus, vt possent illud incolere Deus, de auxiliis mediisque, siue proximis, siue remotis prouidit, voluit que serio, & si inefficaciter, saluari; ij vero omnes homines sunt, vt hoc controu. 1. in ordine 4. de Deo vno, iis igitur omnibus de habitatione, spatio, nec quidem Angusto, sed decente, & amplo, vt in innumerabilibus Angelis prouisum est, vt iam dicam. Tot autem Angelis 6. etiam si minutissimis omnibus corporibus numero, non æquant nedum, excedant, & hominibus decenter capiendis amplissimi ex corporibus empyrei, Beatorum sedis, magnitudo non redundat. Secundo neque Dei summi imperatoris, neque celestis aulae suæ maiestatem, & ornatum, neque beatorum Angelorum, ipsius incolarum principum dignitatem, deceat illam quasi farcinatam Angelis esse: vt ex creatis Principum aulis patet, quibus, & ampliora ædificia, & cuiusque muneris, & ministrorum habitacula, & officia, quam vt Reges, & ministrorum, & ministeriorum operibus opus sit, & Principum, & Palatiorum maiestatem, & ministrorum, pro vniuersiusque gradu, dignitatem commendant: eoque magis, quo fuerint ampliora quod si, & Angelos, & homines propria voluntate damnatos, non autem, quia in Dei voluntate, celestique illa aula paratum locum non haberent, recenseas, quantum ratio hæc virtutum habeat facile recognosces; qua discursus Bubali nostri disparent. Nec satis est, cum Angelos natura sua, tum homines, ex beatitudinis conditione penetrabiles esse, & vt Deo commodius decentiusque assistant, debere esse confertim coniunctissimos, vt principi semper eorum ministri solent. Ea enim locorum amplitudo, ne miraculose penetrarent, alterius extra locum alterius necessario esse debeat non designatur; sed vt alter extra alterius locum, vt velit esse, pergereque suo modo, & quasi deambulare queat: atque tantis Principibus habitatio intra Palatium tantum Dei maiestatis, & ipsorum excellentia digna assignetur, Deo vero, cum vniuersi loca immensitate sua indiuisibili, tum speciali assistentia empyreum replenti intimi, ac propinquissimi, Beati omnes, Angeli & homines sunt, essentque reliqui, si, vt potuerit, saluarentur. Idque solum nobis conferatissima, illa Angelorum turba Deum, quam prope circumdante, quo possunt modo significant, certe, si hæc de re indicium tandem meum proferendum sit: cum affirmatiua sententia ab auctoritate (cui inniti eius Patroni volebant) scripturæ & Patrum, nil habebat firmitatis, & rationes, quas tactas à Patribus putabant, vel à se inueniebant, sine adeo inbelles; nec pro negante sententia, quidquam præter immeritam admirationem de maiori numero Angelorum quam sit, multitudinis coniunctæ ex arenis, foliis, floribus, stellis, herbis cunctis, afferratur breui me expediam.

5. Censco rem nobis prorsus dubiam, & incertam, atque soli Deo notam, & Beatis (vt de absoluto numero Angelorum aiebat Dionys. Areopag. recitatus,

